



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Synodvs Landavensis Svb Gvlfrido XX. Ibidem Epsicopo, ob violatum
ecclesiae patrimonium habita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

SYNODVS LANDAVENSIS

ANNO
CHARLAE
1111

SVB GVLFRIDO XX.

IBIDEM EPISCOPO,

ob violatum ecclesiae patrimonium habita.

LOVMARCH filius Gatguocaun deprædatus est Aperguenfrut, & cepit Eicolf filium Cinhor cum omnibus rebus suis supellecilibus. Et facta illa iniuritate cum nimia ira & feroore in territorio sanctorum Dubricii, Teliaui, Oudocei, & refugio: mandauit episcopus Gulfrid clericos ecclesiastici ordinis de omni parochia infra ostium Taratyr super ripam Gui & ripam Tyui apud Lannoudocui. Et audita congregatione, simul & adunata pro tanta transgressione, Loumarch requisivit veniam, inclinans se ad terram flexis genibus, & effusis lacrymis coram episcopo & coram antepositis sacris reliquiis, crucibus & cymbalis, offerens se passurum & accepturum, recognoscendo delictum, canonicam sententiam & iudicium.

Inito consilio cum Synodo, & cum quibusdam parochiæ optimis viris laicalis ordinis, & catholicae fidei, condonauit ei episcopus redditis sibi & suis omnibus rebus suæ vastationis, data sibi remissione, & iniuncta poenitentia ad modum culpæ; & post datam veniam Loumarch largitus est in eleemosyna villam Treficarn pontum cum tribus modiis terræ Deo & sanctis Dubricio, Teliauo, & Oudoceo in manu Gulfridi episcopi, & omnibus episcopis Landauiaæ in perpetuo, cum tota sua libertate, & cum omni communione in campo, & in siluis, in aqua & pascuis, verbo & consensu Catell regis Guenti filii Arthmail. De clericis testes sunt Gulfridus episcopus, Duun sacerdos, Diuungual Laun abbas Lan Euniaun, id est, Lan Oudocui, Dislaith lector, Aircoit docttor, &c. De laicis Catell rex, &c. Quicumque custodierit, &c.